



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Cæsar.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

glyphico præmia merentibus impendi atque distribui, hinc scelerum convictis castigationem impendere significantes. Sed enim species hæc duas secum mulieres captivas trahit, unam, quæ fractum ensẽ manu præterdit, alteram, quæ conto innititur, duo ex hoc figmento vitia domita indicantes, ut ex utriusque medio virtutem ipsam adstruerent, per fractum scilicet ensẽ severitatem nimiam retusam cohibitamve intelligentes: per contum, lenitudinem ad ferulam revocatam, qua judicia plus æquo producebantur. Ind enim contatio, quæ retardationem significat. Lenti vero sunt, qui nullo atroci quantumlibet scelere concitantur, neque publicis neque privatis injuriis commoventur. Sunt tamen & alia justitiæ hieroglyphica, quæ locis suis, prout res exigit, exponuntur. Apostolus tamen ait, judicem esse Dei ministrum, ideoque non sine causa portare D gladium: vindex enim in iram ei, qui male operatur. Et quoniam satis constat gladium severitatis animadversionisque indicium esse, prætereundum non est, quod in Divinis literis sæpe mentio fit ancipitis gladii, cujus hieroglyphicum est, quod in judicio corpus atque animam punire simul potest, vel quod & supplicio præsentis pœnæ, & futuræ metu puniat. Ita accipi ancipites gladios in Sanctorum manibus. Nam ut & Eucherius ait, qui mundi peripsemata, & quisquiliæ creduntur, de nationibus ac Regibus judicabunt.



IRRITATIO. CAP. LXII.

*Quales for-
san gladii
Delphici.*
*Περὶ οὐδὴ
εἰς ἕν
οὐδὲν.*
*Ignem
gladio ne
foedito.*
*Satyræ 3.
Hu adde
crucorem,
atq. ignem
gladio ser-
vare.*
*Ἰδὼς ὅ-
τι ἐγὼ
πλὴν ἤθευ.*
*Lucianus
in scilicet.*
*Apud Te-
rentium in
Phormion.*
*A casoma-
triu utero
dicitur Ca-
sar, vel ab
Elephanto
caso. Unde
casones et-
iam dicitur.*
*Meminit
Suet. in Ty-
berio. c. 10.*
Esaiæ 27.

Ignem vero gladio dissecare, quid sibi velit apud Pythagoram, non facile fuerit augurari, cum in ejusmodi symboli enarratione diversi abeant præclari admodum viri. Nam D. Hieronymus, atq; etiam Cyrillus, impudentem, ac ira percitum animum asperitate verborum (is enim gladius est) non esse laceſendum exponunt. Diogenes, potentiorum iracundiam non incitandam interpretatur, cui sententiæ subscribit etiam Plutarchus. Et Flaccus Horatius cum in Sermonibus dixit, atq; ignem gladio secare, nihil aliud prorsus sibi voluit, nisi admonere nos, ne magnorum hominum indigna- tionem adversus nos provocaremus, laceſeremusve.

NULLIUS FRUGIS OPUS. LXIII.

Rem, quæ neque usui, neque efficaciam respondere possit, non sollicitandam, attendendamve. Le- cianus, Basilius, & Plato, hinc significari arbitrati sunt, quorum si qua est autoritas, apud ad- modum, qui studium in nullius frugis opere infumptum significari voluerit, hominem pinget flam- mam gladio dissecantem. Cui simile dicitur illud, *Aquam in mortario tundere*: neque non, *Late- Tōwq. ὅ- rem lavare.*

CÆSAR. CAP. LXIV.

Quod vero fabulantur Cæsarem per cultrum significari, juniorum inventum est, non infelix tamen. Nam cultrum pro dissolvendi incidendive significato poni apud Jamblichum reperias, in iis, quæ scripsit ad Porphyrium.

PONTIFEX. CAP. LXV.

Am & inter insignia Pontificum, Flaminumve, cultri species aspicitur oblonga, manubrio, quod D Jex ebore fieri solebat, & ex auro, vel ex argento, rotundo, solido ad capulum juncto, fixo clavis æreis, ære Cyprio, ut apud Pompejum legitur, cui à secando secespita nomen fuit.

SPIRITUS SIBI REDDITUS. CAP. LXVI.

Quinetiam Pontificis nostri JESU CHRISTI gladius celebratur, qui, ut celebri pentametro fertur, *Non venit pacem mittere sed gladium.* quod apud Matthæum præcipue legitur. Apud Esaiam vero Dominus intentato gladio visitare fer- tur. Per hunc Adamantius dissecionem Spiritus à carne videtur intelligere. Carnis enim sunt, for- nicatio,